



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXX. Gebhardvs. LIX. Arch. XLIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXXIX. SALENTINVS. LVIII. ARCH.

XLII. ELECTOR.

Salentinus Comes Isenburgicus an. 1567. Coloniensi Insula exornatus, an. 1574. Mitram Paderbornæ alteram capitii impo-
suit. Utriusque nimirum Ecclesiæ Canonicis sumnopere proba-
ta est Salentini cura Ecclesiastica simul & domestica, qua the-
sauros utrosque auxit & multiplicavit. Verùm tametsi auro &
meritis dives diceretur Salentinus, his tamen omnibus longè vi-
sus est præferre generis sui propaginem: abdicato enim post an-
num Sedis 10. Electoratu duxit Antoniam Arenbergicam, ne
mortis falci penitus succumberet stemma Isenburgicum.

LXXX. GEBHARDVS. LIX. ARCH.

XLIII. ELECTOR.

Gebhardus Truchsessius ab Ottone Episcopo Augustano
E. R. C. patruo suo ritè moribus formatus, & statum
meliorem eligere doctus, eo profectu visus est institisse
Truchsessiorum Comitum gloriois vestigiis, ut anno ætatis suæ
30. in Archiepiscopum Coloniae jam fuerit electus, posthabi-
to etiam Ernesto Bavarо Frisingensi simul & Hildesiensi Episco-
po. Verùm sefellit plurimùm universos malè concepta spes de-
tanto, ut ajebant, juvē: Gebhardus enim Agnetis Mansfel-
dicæ illiciis & laqueis adeò est irretitus, ut desertor Ecclesiæ Ro-
manæ factus, clam cum amasia celebrarit nuptias, animo simul
retinendi Electoratum Colonensem. Armatas eum in finem
manus Gebhardo adversùs quosvis hostium impetus promise-
runt Joannes Casimirus Comes Palatinus, Hassiae Marchio, Co-
mites item de Solm, Nassau & Geroldseck &c. Verùm ab
Hispanorum è Belgio mox translatorum præsidiis Bonnâ occu-
patâ, Gebhardus pulsus, Romæ simûlque Coloniae est exautho-
ratus, Pontifice Gregorio XIII. sententiam dicente an. 1583.
unde

unde derelictus ferè ab omnibus fugit in Hollandiam , ubi ab Uraniæ Duce exceptus, extorrium more cum sacrilega conjugè vixit ad annum 1601.

LXXXI. ERNESTVS. LX. ARCH.

XLIV. ELECTOR.

Ernestus Alberti V. Ducis Bavariæ filius, tribus jam Infulis , Leodiensi nimirūm , Hildesiensi & Frisingensi junxit quartam eāmque majorem reliquias Colonensem. Pedo & Gladio opus fuit Ernesto ; Pedo quidem ut oves dispersas unum in ovile reduceret ; Gladio autem ut lupos permultos , hostes nempe suos copiosos procul pelleret, quod utrumque præclarè prorsus præstítit per annos 29. Utrumque paucis complexus Poeta canere nos docuit.

Ernestus Bavarus certans Gladioque Pedoque
Restituit læsis vimque decusque sacris.

Talia tametsi probarentur minimè Lutheri asseclis Viris Principibus, hi nihilominus quod in Ernesto reprehenderent, non invenerunt, quod verò dilaudarent, facile repererunt: vixisse enim & mortem Arensbergæ obiisse an. 1612. non nisi *santissimè*, libris testibus confitentur. Gloriosus igitur reliquorum omnium ex Domo Bavariae Electorum Coloniæ antesignanus Ernestus, Coloniam Romam Germanorum dictam, dum non condidit, magnam partem restauravit.

SECULUM XVII.

LXXXII. FERDINANDVS. LXI. ARCH.

XLV. ELECTOR.

Ferdinandus Wilhelmi V. Bavariæ Ducis filius , Ernesti Electoris nepos , Academiæ Ingolstadiensis lucidissimum sydus in juventute fuit , in qua eruditionis & scientiarum

præ-